

quae anno praeterito ad R. P. V. scripsi, tribus ultimis anni mensibus abfui a mea ecclesia decurrente varias christianitates; praesenti hoc anno abfui iam per duos menses, et post aliquot dies proficiscar ad pagos usque ad initium Ianuarii; vires supplebit Deus. A Maio anni 1722 usque ad Iunium praesentis anni numeravi 620 baptizatos, 2383 confessiones, 842 communiones; non est proportio confessiones inter et communiones, quia multae sunt occasiones, in quibus fieri non potest sacrum. Caeterum non existimet P. V. permissiones ab ill. Legato explicatas sufficere ad tollendas omnes difficultates in praxi. Sunt adhuc puncta non pauca, circa quae variae sunt missionariorum sententiae.

Ex litteris P. Iosephi Pirez Provincialis Iaponiae datis Macao 29 Novembris 1723: Ex dictis intelliget P. V., quam alienum a veritate sit dicere, sacerdotes Collegii Macaensis id temporis vitam degere otiosam; numero pauci, senectute graves atque adversa valetudine utentes, munera gravissima, quibus collegium de more se obstrinxit, libenter seu illibenter adimplent. Tribus in hebdomade diebus et festis per annum totoque tempore Quadragesimae a fine orationis matutinae usque ad secundam mensam et aliquando usque ad occasum confessiones excipiunt. Omnes praedicationes, quae toto anni tempore et Quadragesima habentur, tam in nostra quam in cathedrali ecclesia, Domo misericordiae et tribus parochiis (totidem enim sunt in hac civitate) non a Religiosis hic etiam habitantibus, sed a Sociis habentur. Omitto instructionem captivorum; quorum magnus est numerus, ad collegii ianuam a duobus sacerdotibus in Quadragesima, necnon alia pia opera, quae... exercentur. Praeter sodalitatem Sinensium neophytorum, quibus praeest christianorum Pater in ecclesia separata, in hac nostra a multis annis, quatuor sunt erectae praeter novam a P. Visitatore sub invocatione SS. Iesu Christi Cordis».

#### 11. Sommario addizionale di nuove eccezioni riconosciute in alcuni degli accusatori de' missionari della Compagnia della Cina, cavate dalle lettere de' medesimi missionari.<sup>1</sup>

N° 1. Da una lettera del P. Fran<sup>co</sup> Saverio Dentrecolles, scritta da Pechino al P. Generale della Compagnia nel 1 Novembre 1724. — «Romae scit (D. Pedrini) eam esse inditam de se idaeam, quam nullae quantumvis verae accusations valeant maculare: quid non audeat homo, qui credit, se quidvis tuto audere posse et saepius ausum esse; a levioribus in se ad graviora recte nonnumquam concluditur; hinc evulgatum illud: disce ab ungue leonem: quo tempore ad instantiam ill<sup>mi</sup> Legati Mezabarba D. Pedrini de mandato Imperatoris translatus e carcere publico fuit in locum apud nos, ubi expresse de eodem Imperatoris mandato debuit manere rigorose clausus, ita ut a nemine inviseretur, nihilominus P. Dentrecolles illum quotidie, aliquando post prandium, aliquando post caenam [invisit], per horam circiter apud ipsum manebat confabulando; ita ut si forte per otium ire non potuisset, D. Pedrini illum amice per

<sup>1</sup> Cfr. sopra p. 472 s.